Rudnicki Simon.

Brunsb. Stud. praesent. Coll. S. J. λογιον episcopale Illmi Principis et Rev. D. D. Simonis Rudnicki a luctuosa morte convolutum.

ΛΟΓΙΟΝ

EPISCOPALE

Jllustrissimi Principis & Reuerendis. Domini

D. SIMONIS RVDNICKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPI VARMIEN.

A luctuosa Morte
CONVOLVTVM,
A studiosa Iuuentute Collegij Brunsbergen. Societ. IESV *in funere eiusdem Reuerendis.*
EVOLVTVM,

Quâ Emblematicis quâ Epigraphicis, &c. consignatum notis.

Anno Qvo
Depos VIt VestIMenta ornatVs PontIfICII.

BRVNSBERGÆ,
Typis Schönfelsianis.



ETPOSTEMMATICON.

Vomer hebet, vernante rosæ viduantur honore;
Abiecit robur cincta sagitta cruce.
Ingemit & cygnus, cineफacti puluere muri.
Hausére à Domini funere, Signa, malum.

IOANNES GRODZINSKI.

Illustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. ALBERTO RUDNICKI, ADMINISTRATORI EPISCOPATUS VARMIENSIS OPTIMO,

Præsulis sui Manibus parentanti

Hosiani Iuuentus Collegij.

QVotquot estis doloris nostri conscij, aut consortes; ah quis non? huc, huc: istas legite lachrymas:

O sæuæ nimiùm grauesq; Parcæ!

O moriendi necessitas! dura necessitas! quo vitæ hæc rota ducitur? itane

Mors spernit altam gloriam?
Inuoluit humile pariter & celsum Caput,
Æquatq; sum̄is infima?

huc, huc, quotquot estis; dolore suo nostras excipite lachrymas. At

Quo vos? quo lachrymæ? dolorq; tenditis?

ad quod tandem currentes riui decurretis stagnum? ad ALBERTVM suadeo deflectite, cuius vnius mæstitiæ (vt æquum est)

Si partem tacuisse velim quodcunq; relinquam
Maius erit.

En tuo dolori Illustris & Admod. R. Dn̄e nostras quoq; omnium offerimus, dicamus, sacramus lachrymas. Quid? dolorem dolori? lachrymas lachrymis? non immeritò sanè. Est etiam dolori vnius solamen, multorum publicus dolor. Miserum istud, exiguum istud. fateor: in grauibus enim quod medicamen? sed cum nullum sit aliud in talibus, magnum illud, multum illud. Accipe igitur hoc triste (ita sors præoccupârat) munus non tristi fronte, sed eâ, quæ Virum & fortem decet & animosum. Iusta dedimus nostro omnium Parenti; humauimus RVDNICIVM, sed eum, cuius

Mens & gloria non queat humari.

Hac nostrum vel maximè qui illum sanguine attigimus, tecum solamur mærorem; hanc cogita toti æternitatis memoriæ præsentem, ne te absentis amici conturbet recordatio. Iam id video facis. En iusta Æternæ Memoriæ Præsuli, Lectori Carmen, Tibi nos totos.

Omnium nomine,

Tuo Nomini deditus

IOANNES GRODZINSKI.

ORATIO FVNEBRIS.

LVctuosum tempus hodiernum Pythagoræ potiùs aliquem Discipulum, aut ciuem Amyclæum quempiam, qui nutu defixus in vno cum profundo luctetur luctu, quàm verbosum, aut flebilem requirit Oratorem. Quid? ad inferias Antistitis silentium? ita vero. Quis enim tam audax, qui tot, & tanto squalore mærentes animos in hilariorem se reducere polliceatur statum? quis tam importunus, qui tot Viris grauissimis (sola enim recordatione vulnus recrudescit) sua dictione ad effusiores ansam porrigere audeat lachrymas? arrogans illud, istud impium; vtrumq; audax, & superbum. Atq; ego dum hæc apud me considero, antequã ad dicendum accedam, vereor, quin totus exhorresco, ne in me, aut vtrumq;, aut cadat alterutrum. Sed ad alteram. Tanti silentio laudes Antistitis prætereundæ? Illustribus olim & bene meritis de Repub. Viris statuas, quæ venturis annis seras etiam loquerentur laudes, antiquitas erigebat: quis verò hoc Præsule nostro illustrior? quis æuiterna dignior prædicatione? At prædicent, vt faciunt, illius laudes alij, ponant

monumenta, erigant statuas, ædificent Colossos, quos posteri Et stupeant omnes, & protinus admirentur: *me procul ab hoc strepitu remotum mecum decet habitare. Malus augur non bonam mentem. Cum alij loquuntur, & me loqui decet, ne cum Amyclæis peream silentio. quid si adhuc dolor vel inuita protrudit verba! Quid est anime? num onus & impositum & propositum refugis? circum pondus oberras? in vestibulo pertimescis salebras? Erige te, &, vel aliorum permotus exemplo, susceptum aggredere laborem, vel tui ipsius lachrymandi excitatus studio, affectam non deuita orationem. Eundem profectò vnicuiq; qui hoc ponderis suscepisset, timorem euenturum, vel tanta funeris Maiestas mihi persuadet, vel tot complorantium voces pollicentur. Etenim quis in eo dicturus funere non titubet, quod tanto Populi studio colitur? quod tanto Ciuitatum concursu, parenti suo parentantium, decoratur? quod eorum luctu ornatur, qui & ipsi Principes in hoc Borussico orbe, antiquam retinent laudem & pietatis & doctrinæ sedis istius? Atq; imprimis te, alterum* RUDNICIÆ *gentis decus* ALBERTE, *lachrymantem hic contueor, qui luctuosissimum simul & religiosissimum hoc officium solus, & ante*

alios

alios, tristissima mente contueris. Tuo dolori mea obsequens potiùs quàm eloquens respondebit Oratio, cui molirer aditum, nisi ista frequentia, nisi iste concursus, nisi ista totius Prussiæ admurmuratio, nisi omnium in extinctum amplissimi Regni Poloniarum amplissimum Senatorem, & Præsulem, SIMONEM RVDNICKI *(quem nec ego sine honore nominare, nec vos sine dolore extinctum audire potestis) ardor, & studium audientiam facilem pollicerentur. Prodeo igitur, quoniam ita iubeor, in hunc campum; facio id quod possum, conatusq; meos lubentes & promptos, (dedissent Superi non in hoc luctuoso officio) cum luculentis aliorum officiis & studiis coniungo. At vnde initium ordiemur dicendi? num, quod Rhetorum grauissimus præcipit consensus, natalitium hæc eius inducemus splendorem? num pictos maiorum eius ostendemus vultus? num antiquos titulos auorum, atauorumque ex longo ordine recensebimus? hos nempe Castellanos, illos Capitaneos; hos consilio, illos manu potentes, & Patriam fouentes Heroës ad nostram inuitabimus scenam? sed quorsum hæc? scilicet, vt quasi alienis facibus praeuntibus illustrior Viri prodeat in mediū Virtus; istasmet faces quis non videt, aut non contue-*

tuetur? si primum in aliquem cadit, peregrinus & cæcutiens; si secundum, maleuolus & impius ille. Stetit huc vsq; RVDNICIORVM domûs immota laus, stabit & æuiterna. Sed quæ isthæc laus, Antistiti?

Stemmata quid prosunt? quid prodest sanguine longo
Censeri?

perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus est in origine solâ;

ita deniq; nasci his vel istis parentibus felicitas, aut casus est, sed

factis extendere nomen,

hîc labor, hîc opus, hîc virtus, & equidem ea sola nostra non aliena. Faciant igitur ij in aliorum laudibus, qui dum non habent quod laudent in homine, alienas callidè toto (quod aiunt) & anhelo prædicant pectore, alienamq; vestem suis quos ornant assuunt Heroibus; tum primum facta quæ sui gessere maiores, tum quæ aui, atauì, proauiq;, quasi personata, plaudenti prodeunt pede, ipse verò Heros post suos vadit vel inuitus antecessores. Hoc in meam nolo cadat tabellam. illustrior hic quàm alienis illustretur facibus, laudatior quàm alienis laudetur laudibus, qui & faces istas maiore illustrauit lumine, & laudes insigniore accumulauit gloria.

Mul-

Multum ille meretur, qui non degener à primoribus suis, quos præclaros habebat, auum suum traduxit; multum enim est laudem, quam accepimus, quasi per manus posteris tradere: plus, qui tanquam de noua surgens radice, nouæ stirpis nouus homo, ipse Princeps & origo, Pater& nepotum sit suorum; plus enim est id, quod non acceperis, laboribus adipisci: plurimùm verò hic qui illustribus ortus nepos atauis, non modo, degeneres non secutus animos, natalitios non iactabat splendores, sed ipse suo splendori decus accessit immortale: talem ego & priori præfero, addit enim: & posteriori, quid enim est Virtutis luce vincere alios, dum nemo sit quem debeas vincere? & omnibus esse vnum admirationi, cum nemo sit cum quo hac de palma concertes? sed inter fulgentes magis fulgescere, quis pluris hoc non videat constare? Ita nullum admiramur astrum quamuis omnia fulgescant, & plurimùm fulgescant; admiramur Luciferum, quod solus inter omnes. At quem hodie talem? ferax verò prosperantibus Superis Patria hæc nostra. quid cum aliis hîc, quos neq; ocium est neq; attinet commemorare? en discite ab vno omnes: hic Vir, hic est quem suspicitis, qui non multum ratus sequi primo-

res suos, quos egregios & illustres in hac Rep. habuit, maluit antecedere, & ad diuinam propius accedere excellentiam, quàm ad humanam se demittere infirmitatem; id à prima iuuentute quasi propriam gnomen & verbis, & testatus factis:

Gloria, nobilitas, Decus, & Laus, vnica Virtus.

Hem quid facio? ita detentos, vtinam non fastidientes, habeo Auditores, & nihil adhuc dico? Relinquo igitur illa quæ non Antistites, Optimus hic Præsul gessit, nil dico de eo tempore, quo duorum Regum Magnus Secretarius Rempub. fidissimè & fidelissimè, summa cum laude multis annis sustinuit; nihil hîc audietis quanto apud felicis memoriæ STEPHANVM *Regem loco fuerit, nihil quanto apud modernum (quem flexo poplite honoris causa nomino)* SIGISMVNDVM *amori: Solus me Episcopatus Præsulis ad se vocat; luctus omnium, quos aut hæc Vrbs alit incolas, aut aliæ sustinent colonos, ad se rapit; præsulatus inquam diuite sinu suas Præsuli fundit laudes, quem quanta cum diligentia administrarit, si mihi liceret per Criticos, quos tamen nec reuereor, nec hic spero, describerē qualem aut deceat, aut necesse sit esse Episcopum. quid? describerem? transscriberem potius. quem illum? irrepre.*

reprehenſibilem, ſobrium, temperatum, moratum, hoſpitalem, doctum; ſimulq; omnium exemplar Antiſtitem hunc meum, in quo quicquid ex aliis ſigillatim colligas, in hoc cumulatim inuenias, ob oculos proponerem; Sed quia nimium audax facinus ad ſacra aliquis dixerit, ſuperſedeo: liceat mihi tamen per vos, ſi per iſtos, qui aliena nati rodere non licet Cenſores, Antiſtitem meum appellare irreprehenſibilem: dabitis id Veritati potius quàm Latinitati; quæ enim reprehenſio in hunc potuit cadere, qui adeo feliciter & prudenter hanc decurrit viam, vt ne momus quidem habeat quod carpat. Prodite Myſtæ: quæ reprehenſio in veſtrum Antiſtitem? quæ præſcripſit aliis, ſibimet præſcripſit prior, ſtudioſus ipſe ſuarum legum obſeruator. Prodite tota aula: quid in veſtro reprehenſionis hero? non Dominum, non Patronum, ſed Parentem quisq; ſuum certat vocitare, deflet nunc amiſiſſe. Prodite ſubditi, ſubditæq; Antiſtiti Ciuitates:

quis vel durus miles Vlyſsi
Temperet à lachrymis,

dum has cernit lachrymantes? non amiſiſſe Patronum, ſed ſimul ſe occumbere clamitant. Totius orbis felix & pacatus regnator AVGVSTVS *Cæſar,*

dum iam in seniles, atq; adeò fatales reclinaret dies, Romam de latere cocto se accepisse aiebat; relinquere de Marmore; eaque prima laus senilem subibat animum. O felix iste noster AVGVSTVS, qui licet de se nihil tale, omnes tamen de illo Augustanum hoc cum dulci quodam memorant dolore: dulcis, inquam, recordatio facti, amissi factoris acerba reuenit memoria. Magnum istud, rarum istud, hac præsertim tempestate, in qua nemo se putat Principem nisi non sit affabilis. De hospitalitate in peregrinos, ac aduenas dicerem, ni vererer videri id in dubium vocare, quod, quotquot estis, perspectum habetis. Quid de doctrina? hæc non Prussiæ tantum, non Poloniæ, sed toti Italiæ, atq; adeo Orbis Vrbi (plus nemo dicet) notissima. Primam adhuc ætatem Musis æternùm consecrauit, quarum amore florentissimas Academias peragrauit. Vbi, quæ, & cum quibus conuersatio? cum ijs quos Orbis piissimos & doctissimos tum habebat: quin ipsa mens quasi præsaga, & præscia futuri Episcopalis Honoris non alio propellebat nisi ad Episcopos, non alio deducebat nisi ad Cardinales. celeberrimus HOSIVS in Vrbe & orbe inter purpuratos Proceres, Vniuersalis illius, & sacri

Con-

Concilii Tridentini Princeps, & tot summorum Ecclesiæ moderatorum Legatus fuit. noster Antistes huic se iunxit Comitem. Quid oro aut excellentius fieri, aut maius dici potest, quàm Cardinali se adiunxisse Comitē? & quidem illi, quem vt tota & admiratur & amat, posteritas, ita & hoc nobilissimum nostrum Brunoricum Collegium prædicat Benefactorem, agnoscit Parentem, laudat Promotorem. Nec omen id leue fuit, nam interpositis aliquot annorum curriculis, non multo interuallo, successor factus in Episcopatu Varmiensi Hosio; in quo quantum aut gesserit contra Hæreticos doctrinâ, aut valuerit Zelo, testis Elbingensis, testis Regiomontana, mediis Hæreticorum furoribus ereptæ, & Catholicis restitutæ Ecclesiæ. Num autem, cum difficile sit Fortunæ non tradere mores, *aliquid de suis optimis moribus in his mutauit honoribus? minimè verò: onus sibi accessisse tolerandum, non honorem sustinendum dicebat; idem studium in doctrinis, idem ardor in studiis ad vltimum prope vitæ terminū. Nihil opus est, vt longius per illius audeam vagari cursum; vnum vobis proposuerim tempus, in quo non deflectere vt arduum, ita & regium & egregium erat, hîc vos spe-*

culum simul, & quasi complementum omnium Principis videbitis virtutum. Annuo ferè grauissimoq; conflictabatur morbo, nihil tamen de solitis laboribus remittebat, nihil de obseruandis Ecclesiæ præceptis. Quadraginta dierum recepta Ecclesiæ consuetudine firmata præcepto, abstinentiæ ab esu carnium tempus instabat, consulunt medici, suadent amici, hortantur & optant domestici, vsum relinquat piscium, sumat lautiores, & afflictæ valetudini magis seruientes cibos, ille velut immota rupes, spernit assilientes fluctus; negat se id facturum in senectute, quod nunquam fecerit in iuuentute. at proderit sanitati. nihil, inquit, prodest corpori quod obest animo. licitum est.

Est, *inquit*, virtus licitis abstinuisse bonis.

Et quoniam idem qui præesse sciebat, & subesse voluit; & qui imperare, obedire, dum iam tota declameretur aula Principem ad sanitatem rediturum, si indulgentiam, quam aliis concedit, sibi concederet: obediit ille prudentissimo Conscientiæ suæ inspectori. dapes adferuntur (vt hoc vtar verbo) geniales. obediendum quoniam inquit, proposui, sumam; experiar quam affirmatis sanitatem. In crastinum verò se non melius respondet habere, quin om-

omnia in peius ruere: persuasiones nuperas inanes fuisse: se obedisse non dolere, dolere tamen id sibi iussum: nec iam amplius posse audire has amicorum vel medicorum cohortationes; suæ stetisse menti Diuinum in omnibus sequi nutum. Quæ verò vox aut sanctior, aut prudentior, aut dignior Præsule poterat esse? Quod si hæc Magna vobis, vt verè sunt, videntur, ad maiora properat animus. quanta patientia, quanta dolori temperantia? nihil ille iratum, nihil mœstum, nihil triste præ se ferebat: quotidie sacro adesse, & quidem, ob singularem erga hoc Diuinissimum Sacramentum animi demissionem, ita illi amicum & in hac extrema valetudine iucundum, vt nec valentiores ad hæc obeunda eum superarint robore, nec hilariores præcesserint lætitia. Quid enim putatis Auditores quàm illustrem suis subditis Pastor ad id genus pietatis prætulerit facem? quam insigne exemplo reliquerit documentum? iucundissima etiamnum perfundor voluptate, dum recolo ægrè trahentem Spiritum per medios domesticæ turbæ congressus ad aulam, vbi diuina fiebant, properare: videre mihi videor (ita me Deus) etiamnum pontificali indutum pallio, ac ferè labantem, omnia sui officij munera obire, idque

eo fortiori animo, quo profundius inhæserat: se debere esse Episcopum. Iam senserat & longè ante præsenserat fatalem diem. quid? mæror aliquis subibat? aut mortis metus pallentem reddebat? non cadebat hoc in Virum fortem. Paratus mori, imò obuiare morti maluit, quàm frustra, quod aliis euenit, nō profecturas vel animo exoptare inducias. Quicquid benè moriendi ratio postulabat, id prior quam tempus postulârat prudenti & valenti est aggressus consilio, Vltimam voluntatem suam multas ante hebdomadas reuidit, correxit, ac, vt sic dicam, vltimauit. Quid de cultu animi? quicquid Episcopum deceret, id suarum duxit esse partium: Decebat Episcopum, quin & Christianum, vt munitus Christianis decederet hinc præsidiis; præoccupat ille tempus, & quod extremum alij & vocant & accipiunt, primum ipse pro se postulauit. Quis tum suis imperasset lachrymis? sed & modò quem dura non tangit recordatio? extremum paratur Episcopo in viam præsidium, luctuosus per aulam itq; reditq; rumor, mœsti circumstant mystæ, tristes adstant familiares; Episcopus extremo ungitur, ipse quicquid attineret firmo adhuc respondet pectore. Quid hoc oro aliud est, quàm fortem obuiare morti, quàm

quàm aliis exemplo bene moriendi praire, quàm se & fuisse Episcopum, & mori ostendere. Iam tum adhuc multis

vario quatiuntur corda tumultu,
Deiecta multis frons serenior:

Verùm meliore estote animo, dabit Deus saltem vestris fletibus, vestris lachrymis, subditi, vt Præsule adhuc gaudeatis in longius tempus optimo. Ita fit: dedit aliquid, mortis & vitæ arbiter. recessit, an alleuiatus morbus? nescio. quàm læta fama Episcopales, quasi coronata rosis, inuehitur in vrbes! peragrat solum hoc Borussicum quàm optata fama! vix credunt quod vident, gratulantur, plaudunt, applaudunt. Verumenimuero

quantos humana negotia Casus,
Alternasq; vices miscent? quo turbine fertur
Vita hominum?

En æqua summorum infimorumq; conditio; velox ille rumor, desideratus rumor, fit breuis rumor, nullus rumor; en modo

Correpti mærore animos, largumq; pluentes
Imbrem oculis,

nihil possumus eloqui nisi, vel

Singultu medios impediente sonos:

OCCIDIT, EHEV OCCIDIT, ILLE BONVS ANTISTES, BONVS PASTOR; OCCIDIT PRÆSVL ÆVITERNA DIGNISSIMVS ME-

MORIA. *Quanquã autẽ de illo minimè dolendum est, qui nihil in Vita gessit, quod aliis aut dolorẽ, aut doloris ansam afferret; immaturus tamen illius à nobis discessus nescio quem mœrorem exigit non vulgarem. Quid? immaturus pleno homini multorum & annorum & honorum? ita sane. vt Solis enim luce fruentibus immaturus est Solis occasus, sic illi à nobis discessus accidit, aut felicitas euenit, non sine multo omnium incommodo. Dolet suum Resp. Senatorem, Patria lumen & columen, Episcopatus se amisisse Pastorem; lugent Pauperes Patrem & Orphani; omnes benefactorem deplorant. Feci non quantum debui tantæ virtuti; sed quantum temporis breuitati. Reliquum est, vt vos breuibus coner solari, quamuis inanes conatus meos; nullum tanto mærori solamen, nulla tanto vulneri medella. Audite tamen Laconũ vnicum quondam post ereptos amicos solatium.* FORTITER *occubuit Præsul. Erigite iam vos animos, locum Principis Virtutis Principem suspicite:*

Cedat luctus atrox, genisq; manent
Iam dulces lachrymæ, dolorq; fessus
Quicquid fleuerat antè nunc adoret. DIXI.

GABRIEL *THEOPHILVS*
OSTROVCH.

EMBLEMA I.

SARDIVS

MOrs ostentans Rationale sacrum, super Reuerendissimi defuncti Stemma expansum, ex eoq; SARDONYCHEN primam illius gemmam euulsam, quam Angeli Diuino illocant tabernaculo.

Sortis melioris origo.

ADspectas viduum primo decoramine pectus,
RVDNICIO ornatum quod dabat antè suo.
Pelle metum; tristi vacua formidine pectus:
Hinc quod Parca ferox optat, habere nequit.
Sardonyche indignus Samius velut ille Tyrannus
Quam dedit irato prodigus esse mari.
Nunquam sperato Diuûm aras auxit honore,
Dum, quod nolebat, Cæsar id esse dedit.
RVDNICIO forsan noster sic Præsule mundus,
Haud dignus fuerat. transtulit ergo Polus.

Ioannes Grodzinski.

ODE.

INusitatus mæstitiæ modus
Ermlandiensis limitibus plagæ
Repullulascit, quando vitam
RVDNICIO Libitina truncat.

Munitus armis Præsul Olympicis
Nam pertinaces presserat hybridas
Desævientes in Tonantis
Progeniem, fideiq; athletas.
Elbinga sensit spicula dexterâ
Rotata forti, sensit & horruit
Deînceps truci rubiginatum
Improbitate polum notare.
Sed verticoso prô Dea turbine
Deprælіantem fortiter Herculem
Exemit humano theatro.
O mala fata! diem sinistrum!
Quid hæresis iam! quid, semel Herculis
Protrita clauâ, pectore concipit?
Euisceratum num furorem
Asperat, ingluuiemq; ructat?
Num tela spectet quis Sybaritica?
Numquid Typhoêi classica strenuo
Curantur hosti? hæc sit procul mens
Hæreseos validata nisu.
RVDNICIANI gloria roboris
Nullo Dearum sternitur impetu,
Post fata virtus machinatur
Fortia, semper honore fulta.
Vis HOSIANÆ cælica dexteræ,
RVDNICIANI pectoris & labor
Stratos colubros in capistro
Cimmeriâ retinentq; nocte.

Idem.

Illa

Il-
la ego
perennantis
famæ nunquã
moritura testis.
Illa ego ad homi-
num memoriã, sui
Præsulis æuiternã glo-
riã, gentilitiis RVDNI-
CIORVM eruta Vomeribꝰ,
vernantibus obstipata Rosis,
vallata Pomariis, munita Telis,
cincta Oloribus, fastigiata Infu-
lâ, fulta Pedo; nõ in Docimite ex-
puluerata Latomia, aut Numidicis
elaborata crustis, (quid enĩ hoc?) sed in
clarissimi Poloniarũ regni inuenta offici-
nis, RVDNICIORVM elaborata fossoriis, in
Borussicis exposita viridariis, Christomystæ
integerrimo, Antistiti vigilantissimo SIMONI
RVDNICIO, qui maturus cælo, adhuc immaturus
Solo prid. Non. Quintil. Anno Vitæ obortæ
M. DCXXI. Ætatis ipsius LXIX. meliorem
Vitam viuere cæpit, à posteritate non ingrata officij,
disciplinæ, custodiæ, beneficij, erigor Pyramis, omnibus
Sempiternum Virtutum exhibitura Speculum.

Andreas Kovvalski.

TVMVLVS I.

SIste Viator. habes tacitâ quæ mente reuoluas.
Varmiaci Custos hîc iacet ille gregis,
RVDNICIVS SIMON, Præsul dignissimus æuo,
Bis septem lustris nec tamen ille fuit.
Funde preces, toto redamato & corde sepulchrum,
Sparge rosas tumulo; sparget & ille suas.
Certet vterq; sibi concedi floris honorem.
Terra tu violas; Syderis ille dabit.

Idem.

II.

HIc sacra Varmiaci tumulātur membra Dynastæ,
Et Virtus Domino contumulata suo.
Fallor. Virtuti Libitinæ stamina parcunt.
Hoc Rosa RVDNICII funere nata docet.
Testatura sui Pylios Antistitis annos,
Cuius diffudit semina larga solo.

Idem.

CHRONOSTICHON.

SoLe tVo aD CœLI fastIgIa, PrVsIa, Capto
NeLVge; CLaras porrIget; InDe faCes.

Andreas Marquardt.

EM-

EMBLEMA II.

TOPAZIVS

MORS ligone fodicans secundam gemmam de rationali eruit, alicubi Troglodytæ, dum radices famis remedium de terra effodiunt, TOPAZIVM eruunt, ac Reginæ Berenice porrigunt.

Medicina Salutis.

DIscit ab indocto esuriem sedare Magistro
Parca ferox; cupidè dat documenta latro,
Sed vice mutatæ doctrinæ vertitur vsus,
Quiq; iuuat reliquos, ipsius exitium est.
Non ceu Troglodytæ, qui, dum sibi pabula quærunt,
Incurrunt diues Sorte fauente solum.
Quodq; dedit bona sors sumit Berenicia gaza.
At gemmâ vulsâ Mors fera pauper abit.
Scilicet, ætherei dum gemmam Præsulem Amoris
Eruit, ad Cælos Virgo MARIA refert.

Stanislaus Nieċiszevvski.

ODE.

HVC phalanx gressu propera citato,
Quæ dies vili miseramq; vitam
Transigis victu; tuus en Patronus
Fata resoluit.

Quic-

Quicquid est pulchrum viridante flore,
Quicquid est pulchrum redolente odore,
Quicquid est pulchrum roseo colore,
Spargito tumbâ.
Mortuus Præsul, plaga quem stupescat
Climatis vasti, miseransq; sortem
Nubilet pallâ lachrymante corpus
Indus, Arabsq;.
Siue longinquis veniens Britannis,
Siue confines habitans per agros,
Hic sciit certum fore nuditatis
Irus Asylum.
Iam vetat rupto Libitina filo
Talium posthac aditus Virorum,
Præsul humano quia raptus agro
Vernat Olympo.
Exerat vires Aquilo gelatas,
Sæuiat crispâ Boreas procellâ,
Æstuans pingues populetur ipsos
Sirius agros.
Non potis nostros vegetare vultus
VARMIÆ Præses, facili virore
Flante fatales Lachesi procellas
Mergitur? eheu,
Mersus astrorum subit architectum,
Præmium Sanctis habiturus actis.
O redi Præsul, vidua en rigatur
VARMIA fletu.

Raphaël Kawaczynski.

D. M.

Æternæ memoriæ

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

REVERENDISSIMI DOMINI

D. SIMONIS RVDNICKI

EPISCOPI VARMIENSIS VIGILANTISSIMI,

QVEM

Nobilitas & claritudo generis nascentem excepit,

Virtus & doctrina natum excoluit,

Honor & dignitas supra alios extulit,

IN CVIVS

Liberalitate & munificentia

Omnes Clientum amplissimi greges conquiescebant.

FAMA

Sacro ipsius Cineri superstes,

Communis indigentium affectus

Perpetua testis

L. M. se D.D. consecratq;

ANNO

Quo Liberalitatem in redempto genere humano terra agnoscebat &

AD gaVDIa eX DoLore pastor LatVs est.

Matthias Bistram,

D TV-

TVMVLVS III.

CVM Libitina mihi disrupit stamina vitæ,
Tales irato prompsit ab ore sonos:
Corpore te soluo: tantum si robur haberem
Iret in interitum gloria parta tuum.
Non sic Parca ferox tumulatur gloria, cuius
Vita fuit semper præmeditata DEVM.

Martinus Czarlinski.

TVMVLVS IV.

SIste precor gressum, tumulumq; aduerte viator,
Paucaq; saxoso perlege metra toro.
VARMIA Præsuleos mihi consecrauit honores:
Sed iam Stelliferum dat Libitina decus.
Disce meo exemplo bullatos temnere honores:
Sola potest Virtus nobilitare suos.

Gorgonius Ageison.

ETEOSTICHON.

RVDnICkI AntIstes fato ConCessIt aCerbo;
SeD fœLIX CœLI regna beata tenet.

Simon Scharff.

Em-

EMBLEMA III.

SMARAGDVS.

MOrs abstracta de Rationali gemmâ, Obeliscum SMARAGDINVM in delubro Iouis apud Ægyptios conuellit.

Virescit Vulnere.

FRustra conaris, frustra mors improba pugnas,
Et spolia incassum tam pretiosa petis.
Quamuis tota Erebo surgat demissa potestas,
Intrepidè stabit gloria RVDNICII.
Quin si tanta tuo feruet petulantia telo,
Lumen vt hoc tenebres, Morta, pudicitiæ,
Ille quidem poterit fato succumbere iniquo,
Subijcere & rutro membra pudicus olor.
Sed maior surget tanto de vulnere Virtus,
Quiq; olim vixit, nunc sua regna feret.

STANISLAVS LOKA.

ODE.

ERgo RVDNICIVM perpetuus sopor
Vrget, cui pudor, & iustitiæ asecla
Incorrupta fides, nudaq; Veritas?
Multis ille bonis commodus occidit,
Nulli commodior quam tibi Prusia;

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi VARMIA.
O RVDNICIADVM stella nitensdomûs,
Non omnis moreris, multaq; pars tui
Vitabit Lachesis spicula perfidæ;
Vitæ quæ dederas dogmata sobriæ
Latè Varmiacis finibus vberant.
Te ventura Virum posteritas colet,
Et desideriis pluribus expetet.
O percusse etiam Mortis arundine
Rursum Prussiacis nascere finibus.
Puræ riuus aquæ, syluaq; pullulans
Virtutum exorere, & præcipe tristia
Cum desiderio ponere syrmata.
Te cernens Speculum VARMIA lucidum
Tam sæuo Lachesis turbine proteri,
Vix compage suâ fortiter insidet.
O magna integritas nescia deprimi,
Æquet quis patulis te regionibus?
Te miratur Arabs, tollit Iberia,
Et gens barbaricis æmula ritibus.
Ergo exurge Deo Vir Venerabilis:
En deuicta minas hæresis integrat;
En vires renouat. Sed licet exerat
Hydræ more Caput non numerabile,
Virtus mille suis monstra coloribus
Defuncti Satrapæ depopulabitur.

Martinus Kortz.

D.
O.M.
Ad bono-
rē. SIMONI
RVDNICKI, Pri-
cipi Illustris. Episco-
patus Varmien. Pa-
stori vigilantissimo, Re-
gni Poloniæ Senatori sa-
pientissimo, ad perpetuam
memoriā, hic erecta Pyramis nu-
bes ipsas supero, nō apice fastigi-
ato marmoreorū segmentorū, aut
Colosseo pōdere spectabilis, sed roseis
Gētilitiæ virtutis insignita Capillamētis,
quæ Sui Præsulis in Deū amoris fragran-
tiam vniuerso deprædicent orbi; vt inui-
ta licet Morte & inuidia, nō Prussiacis tā-
tummodo concludatur areolis, sed tantū vi-
uaciore mundū hūc recreet odore, quantò il-
lius frutex propius Paradisiacis se implantatum
gaudet rosetis. Tu verò Polonici orbis ocelle, exul-
ta Prussia, quæ cū antea pluribus ab hæresum lan-
cinabare hydris, nunc RVDNICII olim tui Pastoris
vigilantissimi solertiā, obductis monstrorum cicatri-
cibus, Elbingensi & Regiomontana restitutis adaucta es
Ecclesiis. Hoc erat Viator quod expediebat, nescius vt ne
esses cuius cryptæ superimposita hic aërem discrimino. Abi, &
vale, meoq; Præsuli S.T.T.L. profare. Anno M. D.C. XXI.
12. Augusti.

IOANNES SMOGVLECKI.

TVMVLVS V.

CErnite quā vili clauduntur tegmine Manes,
RVDNICIÆ quondam gloria rara domus?
Vile ferunt tegmen. sic mundus vile rependit,
Vilia corpus amat, Spiritus alta petit.

IOANNES HEIDENSTEIN.

TVMVLVS VI.

TV quicunq; meū transis, subsiste, sepulchrum;
Aspice quo Proceres sors rotet atra gradu
Huius eram Antistes quondam celeberrimus ædis,
Nunc pedibus puluis proteror ecce tuis.
Scilicet hoc meruit sacrata tiara, pedumq;,
Eximeret Virtus me nisi celsa probro.

ALBERTVS WAZYNSKI.

NVMERALE.

ÆternI Dono PatrIs, MIhI fata, benIgno,
VLtro qVæsItos progenVere poLos.

GEORGIVS THEM.

EMBLEMA IV.

CARBVNCVLVS

CARBVNCVLVM radiantem, qui fuit quarta Rationalis gemma, Mors extractum obscurare nititur, erumpentibus per vim hinc inde radiis.

Non extinguetur.

RVDNICIVM tentat fera Mors tumulare decorem,
Queue magis pressat clarius ille micat.
Non secus ac vario radiat CARBVNCVLVS igne,
Phœbæa radios gemma imitata facis.
Gemma fuit rutilâ clarescens lampade Præsul.
Gemmea flamma Viri nobilitarat opes
Dum Lachesis tentat talem restinguere flammam
Post mortem è tumulo fax inopina salit.
Non credis ? videas larga obuia munera palmæ :
Prodit munificam fama negata manum.

THEOPHILVS WILCZEWSKI.

ODE.

SIccine longinquis quæ gloria claruit oris,
Summo & refulsit æthere,
Obducto tetricæ fædatur funere Parcæ,
Et funerantibus malis ?
Siccine lux, toto quondam nitidissima sæclo,
Vno restinguitur die.

Sic-

Siccine Paſtor oues vigilans iam deſerit omnes ?
  Quæ eſt certa præda Tigribus ?
Splendebat patulum RVDNICIA flamma per orbem
  Illuminans fideliter.
Splendebat; ſed vbi nunc lumina priſtina? torpent,
  Demerſa barbarâ manu,
Flacceſcunt, dolor heu, dolor heu, quis ouilia ſæuis
  Oppeſſulabit aſtibus ?
Ite piæ lachrymæ ſpatioſaq; flumina veſtris
  Exuberent doloribus.
Perge dolor, fluidos è vultibus elice riuos,
  Moturus & nece hac Getas.
Perge, nec euincat rutilo CARBVNCVLVS igne,
  Qui poſt necem coruſcus eſt;
Diffuſa & melius radiaſcere luce videtur,
  (Nam fulgurat dolens vicem)
Tu ſed abi, crepitans vbi Paſſaris vnda ſuſurris
  Allambit ædis illius
Fundamenta, SIMON poſita quam mole nouauit.
  His lachrymis riga locum.
Poſt vbi Paſſaricas vacuato gurgite lymphas
  In lachrymas coëgeris,
Proximiore leua liuentia corpora turri,
  Aſcende voce concinens;
Hic dolor extinctum fleui, fleboq; SIMONEM
  RVDNICIVM, incolam poli.

Andreas Keſler.

D.O.

D. O. M.
P. Q. M.
SIMONIS RVDNICKI
EPISCOPI VARMIENSIS

Vitæ Sanctitate, morum comitate, eruditionis gloria celeberrimi,

Ecclesiasticæ libertatis maiestatisq́ defensoris constantissimi. Qui pastoralis suæ vigilantiæ præstantia in humilitate, charitate, munificentia erga omnes, misericordia erga Pauperes expressa;

Furentium Hæresiarcharum monstris repressis; Elbingensi Basilica *ab execrandis prauæ fidei Superstitionib. erepta; post tot Diœcesis suæ templa, partim à ruina vindicata, partim à fundamentis erecta.*

Episcopatus finibus, per difficillimas rerum conditiones, cum dignitate & tranquillitate, annis XIIX. gubernatis, fide Catholica iam planè ruente erecta, & confirmata;

Obdormiuit in Domino, sui in cordibus omnium desiderium relinquens, Anno Domini M.DCXXI. *Mense Iulio, Die* IV. *Ætatis suæ* LXIX. *Episcopatus verò XIIX.*

Stanislaus Tomislavvski.

E TV-

TVMVLVS VII.

HActenus incerto cecinisti littore, Cygne,
Præmittens propria suaue melisma neci.
Jam te BAVDA *vocat, teneas vada fluminis ales:*
Præsulis & deflens tristia fata, cane.
Quod si Varmiaci tibi non satis vnda fluenti,
In fletu & lachrymis, Cygne, natato meis.

Idem.

TVMVLVS VIII.

QVis iacet hic? SIMON RVDNICKI. *plura sileto.*
Hoc dicto totum me retulisse puta.
Quando volet proprium Zelus nam sumere vultũ,
Dices Varmiaci Præsidis iste fuit.
Egerat Hæreticus tumulo noua toxica, dicens
RVDNICIO: *Elbinga Schisma recessit agris.*

Idem.

CHRONODISTICHON.

Insonet æther, SaCræ æDes, & BrVnorIæ Vrbes,
AntIstes nIgræ fVnera MortIs obIt.

JOANNES LICHTENSTEIN.

EM-

EMBLEMA VI.

SAPPHIRVS.

DVM SAPPHIRVM quintam Rationalis gemmam Mors euellere nititur, sponte erumpit, & cœlo se illocat.

In Cœlis Conuersatio eius.

Viximus heu terra: cœlo iam viuere præstat.
Viximus, & senio membra grauata labant.
Jam satis est septem Decades numerasse senecta,
Jam, noua ruga monet, Vita dicanda polo.
Quid cunctando anime expectas? pete regna polorum.
Gestamen proprij te monet officij.
Scilicet hic Cordi rutilans SAPPHIRVS inhærens,
Ornatum nosti, quid velit ipse monet.
Dixit, & affectos sanctè communiit artus.
Cœleste hospitium non rediturus adit.

Albertus Pstrokonski.

ODE.

SI Varmiensem noscere cupis Præsulem,
Quem Parca peplo tumulat inclusum ferox,
Habitator orbis frigidi, & Geticæ plagæ,
En Castitatis Symbolon SAPPHIRVS est,
Imaginem qui Præsulis refert tibi.

Namq; vt viriditate violas præit sua,
Et dignitate rariores gemmulas,
Sic Præses omnes inter hominum copias
Supereminet, sacris refertus muniis.
Hoc comprobat VARMIA, probant Lechici situs,
Quêis prima studium consecrarunt tempora.
Regum potenti distinebatur domo,
Curisq; mentem discoquebat catheam.
Mygdonia largas cista quantumuis opes
Tenuerit, ætas Præsulis tyronica
Non inde tamen in præcipitia fomitis
Lasciuientis labilem Vitam dedit;
Virtus auito sanguinefluens sciuerat
Se regere, & allisos refrenare impetus.
Fortes creantur fortibus genitoribus,
Nunquam Columbam fortis eduxit Aquila.
RVDNICIVS astrum Prussicæ terræ fuit,
RVDNICIVS astrum Lechicæ terræ fuit,
Vt hæc Senatorem gemat raptum sibi,
Et illa velit Episcopum viuere suum,
Vtrinq; parili fit duellum pectore.
Illa instat, hæc vrget Deam, quæ funere
Mersit repentino Ægidem Patriæ datam.
Frustrantur ast ambæ. potius ô Lechica
Dic terra; plures euocet vt ex me Viros
VARMIA, dedit SIMONEM Olympo, age VARMIA.
Vt sua polus multiplicet astra, mea rapit.

Andreas Marquardt.

I.

I.

Telum,
præpete
cursu polos
ipsos penetra.
Nihil obstat, arduũ
quãuis iter subintras.
Ardua per arduã trahit
Virtus viã. arduo petũtur
Excelsa robore. Præsulis tui
innata Virtus te beatiore,
Confide, cumulabit potẽtia; licet
Emortuã dextrã vides, nõ torpet illa,
Edocta scilicet suis Virtutibus viam
Pridẽ hãc parare. abi, vola telũ, vola beato
Cursu, beatæ prodromus animæ tui sis Præsulis.

SAMVEL PIASECKI
SVO PASTORI ET ANTISTITI
Testificandæ gratitudinis
Monimentum.
P. P.

ANNO
QVo sIMon RVDnICIVs AntIstes obIIt.

TVMVLVS IX.

I, *Pete præfixam vibrata phalarica metam:*
Icitò, Virtuti sterne sagitta viam.
Inclita RVDNICIÆ *sequitur te gloria laudis:*
Ipseq; vult Præsul, te praeunte, sequi.
Itelum felix, cessabit in æthere motus.
Sic laus, sic Præsul, sic requiescet honor.

Georgius Wibers.

TVMVLVS X.

E*Xspectas! faciam forsan tibi verba viator.*
Non faciam; faciet sed mea tumba tamen.
SIMON RVDNICIVS *iacet hac tumulatus in Vrna,*
Gloria Pontificum, lausq; decusq; Ducum.
Tu quod non graue, nec magnum, concede petenti,
Dic noceat cineri nulla procella meo.

Idem.

FATALE.

AntIstes MorIens nostrIs DIgressVs ab orIs.
Terra sIbI CIneres, SpIrItVs astra petIt.

Idem.

EM-

EMBLEMA VI.

IASPIS.

MORS extractam IASPIDEM, sextam gemmam Rationalis, super incudem malleo fortisimo contundit, illæso semper splendore, & vtilitate.

Non commouebitur.

MIra tuam Præsul decorat constantia mentem,
Viuida Prussiacæ gloria lausq; plagæ.
Fortis in instantem chalybem, validamq; bipennem
(Mirum) Adamas pugnat; sed lapis ille fuit.
Quid loquor? en fidei erumpit de Præsule fulgor
IASPIDE lucidior; gemma sed ille fuit.
Verùm quid fluxis Virtutem comparo signis?
Angelicum superas nobilitate decus.
Lucifer inconstans dat dignas munere pœnas,
Sunt tua digna polo munia, teq; polus.

SIGISMVNDVS WILCZEWSKI.

ODE.

ERgone Eumenici cohors theatri
Spargit vipereum furens venenum,
Quo mentes hominum cruenta plectat?
Ergone Hæreticæ dolus phalangis
Mundi perfidus occupabit oras?

Ergone

Ergone excidij timore liber
Terrarum patulo fruetur orbe?
Surgat viuida IASPIDIS decoræ
Virtus, & rapidos premat furores;
Exurgat, Superumq; caudicatos
Celsos promoueat ferax honores.
Est cui robore pectus entheatum
Dignum IASPIDE pollicetur omen,
Charum RVDNICIÆ decus Coronæ,
Clarum Sarmaticæ iubar cateruæ.
Nescit Præsulis inclytum vereri
Pectus, quas stygiæ struunt catastæ,
Casso robore & impetu, ruinas.
Nescit numine cor sacro vstulatum
Obliquo inuidiæ ferire morsu.
Nescit Relligio tumultuosis
Figmentorum agitarier procellis.
Heu, sed præsidium inuido resectum
Fato, quàm subitâ cadit ruinâ,
Et quantum patriæ fuit medelæ,
Tantum protinus ansa sit querelæ.
Vixisses Superis verende Præses,
Vixisses Patriæ colende Præses,
Nunquam sacrilego hæresis furore,
E sæuo Phlegetonte pulsa, tantas
Terris obiiceret dolosa technas.

Bartholomæus Niedzielski.

An-

ANtistes VARMIÆ *vigilantissimus, nec minori generosæ mentis præstantiâ, quàm honoris dignitate Illustris* SIMON RVDNICKI, *post emerita Virtutum merita, post exantlatos ex ardentissimo Diuini Numinis Zelo natos conatus, post inductum Elbingensi, & Regiomontanæ Ciuitati, Veræ & Orthodoxæ religionis cultum; vbi irrequieta virtus amplius, in quod viuos feruoris iaceret ardores, residuum non reperit; vbi inusitata digmaticarum* TVRRIVM *propugnacula & quod oppugnarent, & quod propugnarent, desiderarent; Vbi generosa* ROSA *suum ipsius tum vigorem, tum odorem perosa marcesceret; vbi demum Stemmaticum illud* TELVM *non munere* TELVM *(quoniam quo aculeatum dirigeret apicem sedula non reliquit Virtus) sed nomine* TELVM, *quò collimaret, quod vulneraret, non inuenit, vnico suorum insignium apprehenso digmate, morbidarum artium cruciatus æuiterno virtutum suarū præcone* CYGNO *suauissimum modulante extinctus hic tumulatur, Lustris quibus* EXVL *patrIaM aDeptVs poLo, annos LVgentIbVs orphanIs VIrI. Tu quoq;, quisquis ades, quoniā Virtutū splēdori nihil addes, id adde, id precare.*

Præsulis vt memori celebrentur Funera mente.

GEORGIVS FIRCKS.

TVMVLVS XI.

VOla sagitta, vmbone missa Præsulis,
Quo meta cœli te vocat.
Nil te decus clari retardet stemmatis,
Nil vomer, & vox alitis;
Te flebili licet vocet fugientem olor
Sono, præito Antistitem.
Felix abi. capiet perennis te quies.
Vola sagitta prosperè.

Matthias Smogulecki.

TVMVLVS XII.

HIC iacet angustâ venerandus Episcopus Vrnâ,
Quondam Prusiaci quem stupuêre situs.
Nec mirêre, breui quod gloria tanta sepulchro
Conditur, haud alio mundus honore beat.
Quicquid in humanis debebat claudier agris,
Hic clausum est. Virtus regna beata tenet.

Idem.

SÆCVLARE.

RapVere fata heV PræsVLeM
TabIDa; poLVs (bona spes) habet.

Idem.

EM-

EMBLEMA VII.

HYACINTHVS.

TRes Parcæ iunctis in vnum viribus, suis vnaquæq; instrumentis HYACINTHVM obtegunt, qui nequicquam è Rationali abreptus, Insulæ Varmiensi, manibus Virtutis, inseritur.

Hic Virtutis honos.

COnspirant iuncto sociatæ fœdere Parcæ,
Iuratas leges perdit at vna DEA.
Scilicet, est robur cœleste potentius omni,
Seu quod terra parit, siue quod Orcus habet.
Macte animo Diuine Senex, mitissime Præsul,
Quem seruat Virtus Mortis ab inuidia.
Diua tibi mentis submissio profuit vna,
Prussiaca Pastor ne morerére plaga.
Discito posteritas. si quæris viuere semper,
Æternùm Virtus viuere sola dabit.

Petrus Gand.

ODE.

FAtalis Dea funeris,
Tandem nequitiæ pone modum tuæ,
Famosisq; laboribus,
Immatura Viris desine stamina

Synceris popularier,
Et ftellis nebulam fpargere candidis.
An femper Tigris afpera,
Agnos ingluuie diminuet fua ?
O Parcæ male parcitis !
Expugnare domos prodigialium
Totas vos hominum decet,
Euitare truces cur nequiit manus
Manfuetus, pius, inclitus ?
Heu quem lethiferis nec Venus vngulis,
Neç fæua ambitio face
Tentauit, moritur ! plangito Prufsia,
Hic Vir Blandufiæ vitro
Vitæ fplendidior tempore perftitit.
Non fic puniceæ rofæ,
Et pulchro virides germine flofculi
Veris tempore candicant :
Vt Præful medio naufragio obuius,
Inter tela Cupidinis,
Tutus Virgineis fragrat odoribus.
Sed quod nec Dea Cypria,
Nec velans viridi tempora pampino
Tentauit DEVS Euchius,
Hoc fati Dominæ Siriaco impetu
In vernante rofa exigunt.
Ergo Parthenijs digna rofa hortulis
I, plantabere denuo,
Sed iam Parca ferox non metet infitam.

Matthæus Wolter.

Quid
Cygne
furentem
lachrymis tuis
Lachesin lacessis?
Quid Præsulē defles?
An Præsidi triumphū
De Morte crudelissima
Fors gratulari vis relatum?
Cessa querelas promere intimas;
Cessa tuo flumina rigare fletu;
Cessa nitorē Cygne lachrymis perdere;
Cōcine melisma dulce, celebrās Varmiacæ
Sedis peramplæ Præsidē, qui iam polos tenet.
Hæc audiens alis suis repente verberauit
Auras, suū credo requirere cupiēs Dominū regnātē.

OPT. MAX. INNOCENTIÆ ET CANDORIS CVLTORI
M. B. M. P.

Martinus Badach.

TVMVLVS XIII.

QVO pelago incubis, remeans quæ littora desles,
Cygne, tuæ qui fers nuncia læta necis?
Cognita pennigero pede Baltica littora trana,
Varmiacum allambunt quæ propè fusa Solum.
Quod si deterrent taciturna silentia Ponti,
Præsulis ad mortem (heu) nil vereare, stupet.

Andreas Schmit.

TVMVLVS XIV.

VExit in Elbingam fidei documenta Quirinæ,
Regius atq; hoc Mons Præside sensit opem.
At postquam positis visum est requiescere curis,
Pacatum aggreditur Mors inopina Virum.
Sed quid agat? cryptâ cineres conclusit in istâ;
Laurigeram ast animam fecit habere polum.

Balthazar Nagoth.

CHRONOSTICHON.

HIC sItVs, heV, LeChICI RVDnICIVs orbIs oCeLLVs,
PrVsIsCa LVX. feLIX sIt CInere Vrna saCro.

Martinus Kortz.

Em-

EMBLEMA VIII.

ACHATES.

MOrs gemmam octauam, ACHATEM videlicet, ostentans, in qua nouem Musæ cum Apolline, non artificio alicuius manu, sed sponte naturæ effigiatæ.

Vetant mori.

QVIS mihi te Præsul superas reuocârit in auras?
Quis tibi det Vitæ posse redire dies?
Florebas, rutilusq; in te splendebat Achates,
Musarum natis cinctus Apollo Choris.
Commorior. periit viuæ mihi dogma loquelæ;
Heu, placet hic tecum te moriente mori.
Quid? non præualeat, nec tot consurgat in ausus:
Sufficiant Parcæ, stamina rupta Viri.
Quo me præcipitas dolor? an periisse putandus
Est Præsul? viuit. viuere fama dedit.

Ioannes Tomislavvski.

ODE.

LVgeat æther, lugeat orbis,
VARMIA luctu tota rigetur;
Concidit Atlas Relligionis,
Concidit Orbis maxima lampas,
Hæreticorum malleus atro

Funere

Funere niueos puluerat artus.
Regius hunc Mons senfit auito
Dogmate clarum, robore fortem.
Senfit, & actis monitus Sanctis
Hæresis à se pepulit technas.
O Varmiacæ gloria terræ,
Cur tam subito fugitas orbem?
Regius en Mons Schisma resumit,
Et, quam posuit, renouat pestem.
Corda rebelli flagrant astu,
Et simulator fæderis icti,
Bellica sæuo signa tumultu
Integrat, oras vt Prussiacas
Deleat vnâ funditus horâ.
O RVDNICIOS vtinam vultus
Non maculasses funere Parca,
Protinus exul foret inuisus
Pacificanti Mauors Satrapæ:
Vita citato at volucriq; pede,
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ resecant pensa Sorores,
Commoda quando summa struuntur.
Sic RVDNICIVS moritur Patriæ
Deficientis tutior Ægis.
Quid ago? Superos scandit in axes,
Vt tueatur fortiùs illam,
Vota litando summa Tonanti.

Idem.

SIMON RVDNICKI D.G. EPISCOPVS VARMIENSIS, *præclaris Naturæ, præclarioribus animi insignis dotibus, iustitiæ pietatisq; cultor religiosissimus: qui, cum in eum, quicquid in vigilantissimo Pastore laudis requiri potuit, beneficio Naturæ communis Parentis, collatum fuisset, cum Præsulei oneris, & honoris officium ea diligentia peregisset, vt cæteris se imitandi omnem spem ademerit: cum Ecclesiasticam dignitatem, Hæreticarum superstitionum erroribus diminutam, pristino restituisset splendori: cum oues, suæ curæ commissas, errantes ad tutum Ecclesiæ locum reduxisset, ipse amplioribus pascendus pabulis: nobis Esse desiit, vt perpetuo illo deliciarum campo frueretur. Anno D. 1621. Mense Julio, Die 4. Ætatis suæ LXIX.*

Idem.

TVMVLVS XV.

MVnera Paſtoris triplici defendere muro
  Vult Præſul, ne illos bellicus vmbo premat.
Turribus atq; ſuam ſedem vult eſſe locatam,
  Tutior vt cuſtos inferiora regat.
Verum, quid factum? ſpoliantur mœnia Telis,
  Quid dubitas? auidus Præſulem Olympus habet.

SIGISMVNDVS WILCZEWSKI.

TVMVLVS XVI.

SI quæris cuius ſit ſculpto in marmore nomen:
  Sum RVDNICIADVM ſplendida gemma domus.
Hoc mihi nūc ſupereſt, quod per me Elbinga Tonātis,
  Regius & quod Mons, dogmata vera colat.
Tu qui ſemotis veſtigia finibus vrges,
  Omnia pulueribus ſancta velis, & abi.

Idem.

ANNO QVO

sIMon RVDnICkI proſtrato robore fatI,
  Robore VIrtVtIs regna beata petet.

Idem.

Em-

EMBLEMA IX.

AMETHYSTVS.

MOrs exprimens Vinum in Craterem, cui gemma AMETHYSTVS insertus, quondam ornamentum Rationalis.

Non gustauit mortem.

ITE leues curæ, procul hinc abscedite mensæ,
Vendicat in nostro nil sibi Morta Viro.
Endymionæos alij perflare sopores,
RVDNICIO Phœbum sed superare placet.
Sciuit delitias fati prodromum esse sequacis,
Nec nisi funestos inde venire dies.
Sciuerat his Cyathis quicunq; admouerit ora,
Non potum, mortem sed bibet ille feram.
Ergo communi quamuis prostratus ab ictu,
Præ reliquis Vitam viuit at ille poli.

SAMVEL WOLOWICZ.

ODE.

SI satis nobis Patriæq; luxit,
Magne RVDNICKI, generosa Virtus;
Iure desertis hominum, perennes
Scandis honores.

Si ſatis noſtris AMETHYSTVS oris
Fulgido luxit celebris nitore,
Gemmeas cœlis merito perennans
Quærit alumnas.
Symbolon dotes humilis figurans
Mentis, vt fato vigeat ſereno,
Impudens nullus rabidos tumultus
Addet Iapyx.
Nulla neruosâ remeans ab Orno,
Nulla ab æratis violenta roſtris
Vis, perennantes, inimica letho,
Subdet honores.
Fallor? an Clotho timidas receſſit
Voce prolata citius loquelas,
Ficta vel mentem inſidiis vaciuam
Scidit imago?
Præſulis fatum Lechicus flet orbis.
Præſul extinctus (dolor heu ſupremus)
Grande Virtutum, tumulanda, munus,
Vrna coarctat.
Vrna prô fati nimium ferocis,
Quæ decus tentas temerare tantum,
Siccine ex omni titulo triumphum,
Vrna reportas?
Amplius ſi qua eſt pietas, fauori
Id velis ergo tribuiſſe noſtro,
Præſulis gratam vt liceat fauillis
Addere mentem.

Henricvs à Crevtz.

Æterna

ÆTERNA POSTERITATIS MEMORIA.

Huc
marmor
Clarium
Obelisci
Crustis splendidũ;
Huc Pyramidica
Moles variegata
Pigmentis Praxiteleis,
Serie diuturnitatis,
Tendito. sed quã finges figurã?
An orbiculatâ claram fabricâ,
Quæ perpetuitatis RVDNICIANÆ,
Quã fatalis Atropos largitur, sit testis?
Hoc, hoc. Colossæa structura placet, nam spes
Immortalitatis est optima RVDNICIO.
Ergo Surge moles; nec prior deturbâre cælo:
Parentẽ Patriæ mirabitur, Virtutũ exẽplar extollet.

Idem.

TVMVLVS XVII.

MArte sub aduerso coëant in prælia gentes,
Castra locat Præsul, Mors fera Castra locat.
Pugnant bellaces, cupiunt victricia signa
Asportare, sed, heu, casus vterq; cadit.
Antistes de turre volat, cadit altera ad ima:
Præsul ad astra volat, Morta sub antra ruit.

Iacobus Herdel.

TVMVLVS XVIII.

VArmiaci hoc tumulo requiescunt mēbra SIMO-
Et splendor celebri contumulatus hero. (NIS,
Anxia nec dubiam disturbent pectora mentem,
Quod surgant tanto pegmata parua Viro.
Sub tali voluit condi sua membra sepulchro.
Non aliter, dicens, terra fouenda mihi est.

Idem.

TEMPORALE.

CVr Ita PassarIas ô Præses DeserIs oras?
PergIs In æthereas? perge, seqVeMVr Iter.

Idem.

EM-

EMBLEMA X.

CHRYSOLITVS

siue THARSIS.

REuerendissimus nauigans per mare Deuotionis, Pietate clauũ regente, Spiritu feruoris ventos impellente, iaculis frequẽtibus ab ore cœlum versus prominentibus. Rationale Mors violat, decimã, THALASSION seu THARSIN, gemmam eruens, & à portu felici prohibens.

Hæc altera quæ vehit Argo.

HVC grex Varmiaci Pastoris adesto, tuamq;
Hoc nauta in fluctu pellere disce ratem.
Aspice RVDNICIVS *quam felici appulit ora,*
Cautus fluctiuagas dum rate findit aquas.
Aspice sæpe Virum perfundere flumine vultum,
Fors naui metuit, ne sibi desit aqua.
Aspicito vt pulsat non impiger æthera telis,
Posse ratus portum sic aperire poli.
Felix cui talis cessit traiectio ponti:
Mille necesveniant, funera non metuit.

STANISLAVS WAZYNSKI.

ODE.

QVO pertinaci roboris augmine
Inauspicato Marte potens ruit
Falcata Clotho? quo malignas
Exerit insidiosa technas?

Athleta

Athleta bellax quo furialibus
Diues manîplis ſpicula cominùs
Intorquet, atq; cuſpidatas
Perfidiâ glomerat pharetras?
Ergone telis auſa laceſſere
Lares potentum? turbine ſubdolo
Gentis ſtudet late patentem
RVDNICIÆ maculare famam?
Ergone clarum Chryſoliti decus,
Ergone laudis famigeræ iubar
Sic nubilet? ſapiêntiæq;
Præſuleæ hæc fuerit coronis?
Prô ſæua ceptis deſine, deſine
Duces iniquo robore, deſine
Exenterare; emaſculatos
Poſt animos referes trophæum.
Non purpuranti nobilè laurea
Daphnona ſæuo robore demetis.
Vigebit æuo fama cuncto
Præſulis indigitans honores.
Queiscunq; laudes perſequeris modis,
Queiscunq; laudes obtenebras notis,
Virent, vigent, namq; alma neſcit
Exitium capulare Virtus.
Ergo deinceps Parca ferociæ
Quantum libebit conglomera tuæ,
Si morte tollis, orbe tollis,
Indigetem ſtatuis ſed aſtris.

Idem.

Meos quisquis transis gressu citato cineres,
SUBSISTE.
En tuo pedi substernor ego
SIMON RUDNICKI
Magnus primùm POLONÆ *Reipub.*
SECRETARIUS.
Princeps post Ermlandiensis &
Episcopus VARMIÆ
Amor ille Patriæ, Amor Reipub. Amor Musarum, Amor Clientum, Amor Episcopatus.
Quid te plura moror?
Fuimus hoc; hoc salutabamur.
Abi iam
Nihil hic, nisi Cinis in suam IV. Non. Iulias Anni supra Mill. 621. reuersus terram.
Quicquid erat terreni Terra tenet,
Me cum meis Polus.
ABI, SED ET TE
Idem, seriùs, aut citiùs manet.
CAROLUS à CREUTZ.

TVMVLVS XIX.

ET potuit Turris firmatos obice postes
   Mors reserare? quid hoc? vis inopina necis.
Ceditur ense vigil, turriq́ effertur ab alta.
   Num cadit aut moritur? fallere; non moritur.
Ecce serenatum direxit ad æthera vultum,
   Unde Soli Turris conspicienda manet.

Idem.

TVMVLVS XX.

NON hic Parrhasiâ miraberis arte sepulchrum,
   Fulgida quod Pariũ marmor in astra ferat.
Sat mihi præciso sit ponere pectora saxo,
   Nec laudes superis annumerare plagis.
Si tamen inquiris, vel si quis scire peroptas:
   SIMON Varmiaci Pastor Ouilis eram.

ANDREAS WOLOWICZ.

CHRONOSTICHON.

VIaM peregIt In soLo,
QVIes eI DatVr In poLo.

Idem.

EM-

EMBLEMA XI.

ONYX.

MOrtem Illustrissimus conculcans, quâ pedo quâ iaculo crucigero impetit. adiuuantibus innocentiæ candore, & morum lenitate, vndecimam euulsam gemmam de Rationali eripiunt, ac pedo restituunt.

Non moriar.

Qvando, per hostiles emissa, Phalarica nostra
Hostes turbauit? quando molesta fuit?
Pacatus morior. viuit mea fama superstes.
Mors premit? vlciscar. qua ratione? sciam.
Diffuge Parca ferox Stygias habitata paludes,
In me, quod ferias, nil tibi sæua datur.
Vos Comites, quibus omnis erat mea Vita probata,
Testor honestatis nobilitate pares:
Et date, si superest dandus mihi morte triumphus,
Id date, quod vultis, Viuere perpetuum.

NICOLAVS KVLWINSKI.

ODE.

ERgo iam querimoniæ
Surgunt Varmiacis locis?
Ergo Syrmate lugubri
Frendent Sarmaticæ plagæ?
Huc huc Harpocrates genis

Semper flebilibus veni;
Fletus materiam cape,
Cygnum sume doloribus
Nostri symbola Præsulis;
Nam fati benè conscius
Cantus ille sibi occinit.
Imò quid lachrymâ hîc opus?
Cedant mæstitiæ metra;
Plorentur, quibus inclyta
Virtus cum nece desinit;
Quin, magno Lacedæmonum
Exemplo, pia VARMIA,
Grandi lætitiæ modo
Mortem Præsulis appete,
Vel vitam gere termino
Signatam Patris enthei,
Non est quod pauor intimis
Serpat visceribus, malis
En scutum omnibus obuium.
Si spumauerit hæresis
Tectis perniciem tuis:
Fulget fulgida ONYX face,
Exuret capitalia
Sacrâ monstra voragine.
Candet candidâ ONYX face
Iustis præmia conferet.
Ergò cede procul dolor,
Præsul non Patriæ occidit.

Stanislaus Hosius.

I
quo te
Sydera
Cursu beant,
felix i Rosa,
Cœlo matura, temne
Spinas inter vigere,
Dulcia sequuntur arduam
Gaudia viam. Dura reperta
Stat calle Virtus. Præsulis tui
Inflatus odor te iucundiore
Polo soloq; ditabit gratiâ. I, tuis
Emortuos sparge cineres odoribus.
I grata nempe purpura splendore fulgidũ
Temerare florem. abi, vire, vige, beatiore,
Æternitatis conscia, tumulum signa nota.

Pastori Suo, & Præsuli æuiternum animi monimentum

P P.

ANNO QVO

Var MIaCI rosa pras IDIs eVIgoraVIt.

Albertus Hosius.

TVMVLVS XXI.

HEVS vigil, ignauo cur mulces tempora somno?
Excubias refugis? quæ tibi desidia?
Cynthius occiduo nondum Caput imbuit amne,
RVDNICIAS turres iam ferus hostis habet.
Eheu Varmiacus Præsul quassatur ab hoste.
Custodem talem VARMIA sacra fugit.

Michael Schonfels.

TVMVLVS XXII.

SVnt quibus exstructo consurgunt pegmate saxa,
Sunt quibus è liquido marmore crypta placet.
Sunt quibus aurifluo sunt Mausolea nitore,
Funere supremo quêis sua membra locent.
Sed mihi marmoreo quid opus turgescere peplo,
Sat mihi sit Virtus. hæc monumenta struat.

Idem.

CHRONODISTICHON.
En habet æterno SIMon noVa gaVDIa regno
TerrenIs spretIs hIsCe beatVs erIt.

Idem.

EM-

EMBLEMA XII.

BERYLLVS.

VLtimam gemmam abstrahit è Rationali expanso in Cruce RVDNICIâ, manibusq; in puluerem frustra conterere conatur, prohibente id Fortitudine, & Constantiâ.

Manet in æternum.

SÆuit in innocuos fera Mors Antistitis annos,
Sæuit & abscisso stamine fata parat.
Contra RVDNICII Constantia Roboris instat,
Fortiter exanguis tela ferendo necis.
Pugnat: conflictum sequitur tristissima cædes,
Hostis vtrinq; cadit, sanguine terra madet.
Perfer & obdura lapsum, fortissime Præsul,
Doctus fortunæ tela inimica pati,
Annuit. imò loqui me commonet ipse BERYLLVS;
Mors terit hunc manibus. conterit ergo? nihil.

IOANNES WALDAV.

ODE.

QVando RVDNICIOS premebat artus
Tetri sæuities nefanda morbi,
O quæ vis Patientiæ nitebat
Hoc in Socrate Varmiensis orbis?

Ar-

Artus iam cruciatibus laborant,
Et sentire graues dolor dolores
Membris non patitur prope enecatis,
Nec Galenica dona concupiscit,
Nec signum perhibet doloris vllum,
Nec vultu impatiente fert grauamen;
Imò tabificum occulens dolorem
Pulsabat tacito Deum precatu:
Si iam Varmiacos satis Penates,
Dextrâ hac, Magne Parens, senex guberno,
Interclude dies, locumq; summis
(Promissi memor) appara theatris.
Nec Votum Deus irritauit istud;
Raptum Varmiaco sed è recessu
Secum stellifero locauit orbe.
Quid iam VARMIA? quid? doloris æstu
Non succenderis? vberasq; fletu?
In te talis erat Patronus iste,
Qualem Roma gerebat alma Numam,
Solon qualis Atheniense regnum
Ductabat placidâ pius quiete.
In te talis erat Patronus iste,
Qualem vix veniens videbit ætas.
Hic & Iustitiæ tenax Quirinæ,
Et custos Pietatis Orthodoxæ,
Exemplum Patientiæ supremum
Inter delicias opesq; natum;
Quod solum superas meretur arces.

Stanislaus Loka.

Sta Viator;

Gressum reprime. huc in istud Marmor oculos:

Exiguum illud, sed magnum gestat nomen.

Cernin illud? Pelege. intellege.

SIMON RVDNICKI

EPISCOPVS VARMIENSIS

id clamo. id testor:

Omnes Vrna capax accipit;

QVAM

Si mouerit rigidâ Lachesis manu,

Miscentur Sceptra Ligonibus.

EN EGO

Plenus Honorum, Maturus Vitæ, Diues Virtutum,

Motus hac Vrna IV. Non. Iulias

cessi in sortem Parcarum Falci:

Mihi sat vixi: modicum Patriæ,

CVI

Lacrumas, suspiria, & perenne

liqui mei desiderium.

VADE IAM, & MEMOR VADE:

Lege nos natos eâdem.

Anno Qvo

Mors DeCVs est Verè, Vero pro robore V Itæ.

GABRIEL THEOPH. OSTROVCH.

TVMVLVS XXIII.

ASSurgunt terna forti munimine turres;
Hostis enim forti prælia Marte gerit.
Fortem sed frustra Martem pugnando fatigat,
Turribus his Virtus RVDNICIANA *latet.*
Vicisti Præsul, victor de morte triumphas:
Æquata est humili Morta relicta solo.

Fabianus Milevvski.

TVMVLVS XXIV.

NON mihi bis septem licuit pertingere lustra,
Cum Libitina dies demetit atra meos.
Nempe breuis vitæ, ventoq; fugacior, hora,
Humanæ longam spem vetat esse viæ.
Tu saltem ad similem metam contende Viator;
Uberet & votis nostra fauilla tuis.

Ioannes Rebievvski.

CHRONOSTICHON.

BrVnorIs ora VaLe, LeChIæ VaLe & InCoLa terræ;
Me tenet ætherei RegIa CeLsa poLI.

Idem.

Tristes

TRISTES HINC AVERTITO NÆNIAS.

QVisquis sereno Delius æthere
Crines fluentis Castaliis lauas,
Propaginis lustrans auitum
RVDNICIÆ venerare pegma.
Descende prono pronior æthere,
Suis amicum fontibus arduus
Extolle, seu libet cothurno,
Seu viridi decorare myrto.
Gemente quisquis Delius æthere
Qua fronte fas est RVDNICIÆ grauem
Propaginis spectas ruinam,
Exequias lachrymosus adde.
Oborta dempto Præsule nænia
Suadet querelas. Vita ferocibus
Succisa fatis, lacrymasq́; ,
Mæstificos loquiturq́; questus.
Diffunde luctus, Brunoris orbita
Diffunde luctus, Præsulis inclitas,
Acerba virtutes coronat
Funereo Libitina busto.
Heu Parca præcox, siccine turbine
Effusa sæuo Chrysoliti Sacrum
Decus cruentas, atque telo
Haud meritum premis irretorto?
Verùm perennis dos sapientiæ
Post fata cælis celsior eminet,
Verbisq́ue nequidquam fatigat
Æuigenûm populata turmas.

Præsulis æterno victura scientia fato
Temno solum, mæstos mortales linquite threnos.

JACOBVS HERDEL.

Quo die Diui Tutelares, S. MARCELLVS, & vnus de legione THEBÆORVM solenniter BRVNSBERGAM inferuntur, Illustrissimus moritur.

VNA dies duplicis vidit certamina Martis,
Quâ commouit humus, quâq; duella polus.
Certauere pares: habitum sine vulnere bellum:
Sunt rata lætisonis prælia facta modis.
Ambo muneribus; pro se pugnauit vterq;;
Cœlum cœlitibus Terricolisq; solum.
Orbicolis cœlum, ditescit terra Patronis:
Sic pro munificâ gratia facta vice est;
Quid multa? Indigetes excepit ab æthere Tellus;
Patronumq; Polo grata remisit humus.
Pugnatum satis est; sequitur victoria pugnam:
Quando Polum victrix laurus, & ornat Humum.

GABRIEL THEOPHILVS
OSTROVCH.

A. M. D. G.

